



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. Quâ ratione Ecclesiis, vel minoribus læsis ob damnum illatum, aut lucrum cessans, succurratur per restitutionem in integrum, & an eriam minor vel Ecclesiam restituenda sit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ganda fuerunt, prout habetur in *L. Minor 36. ff. de Minorib. & in c. Auditus 3. h. t.* Imò contra sententiam etiam à Papa, aut alio supremo Principe latam, aut confirmatam conceditur restitutio in integrum. *c. Tum ex literis 5. h. t.* (non quidem ab inferiore, sed ab ipso supremo Principe concedendam) ita ut executio sententiæ per restitutionem in integrum regulariter & ordinariè suspendatur. *c. suscitata 6. h. t.* nisi contra petentem restitutionem adsit præsumptio, quòd maliciosè eam petat, ad impediendam executionem, & hæc adversus rem judicatam restitutio etiam majori conceditur, si justa causa probetur, prout sumitur ex *c. Ex literis 4. h. t.* negata tamen semel in judicio restitutio, quamvis Ecclesiæ aut minori facta sit, in alio judicio non conceditur, (cùm sententia lata transiverit in rem judicatam) præterquam ad instituendam appellationem, nisi novæ defensiones emergant, quæ novo indigent auxilio *c. final. h. t.*

## §. IV.

*Quà ratione Ecclesiis, vel minoribus læsis ob damnum illatum, aut lucrum cessans, succurratur per restitutionem in integrum, & an etiam minor vel Ecclesia adversus alium minorem aut Ecclesiam restituenda sit?*

**M**inoribus & Ecclesiis subvenitur per beneficium restitutionis in integrum tam ratione damni illati, quam ratione lucri cessantis, si graviter læsa sint. *c. Constitutus 8. h. t.* saltem in hoc posteriore casu, si res adhuc integra sit. Sicuti autem minor contra minorem restituitur, ita Ecclesia contra aliam Ecclesiam,

nisi par utriusque esset causa, ita ut uterque agat de damno vitando, in tali enim casu privilegiatus contra æquè privilegiatum suo privilegio uti non potest, sed res decidenda est juxta jus commune. Si verò par non sit utriusque causa, sed una pars de damno vitando, altera de lucro acquirendo agit, potius succurri debet etiam per restitutionem in integrum illi parti, quæ de damno agit, quam quæ agit de lucro captando, quamvis utraque pars privilegiata sit.

## §. V.

*In quibus casibus restitutio in integrum minoribus non conceditur?*

**P**lures enumerant jura. Et primus quidem est, si major factus expressè vel tacitè ratificavit id, quod in minore ætate gestum est. *L. 1. & 2. Cod. si major factus, &c.* quia in tali casu ratihabitatio habetur tanquam renuntiatio privilegii minori competentis. Secundus est, si majorem dolosè simulavit minor, eo animo, ut ad contrahendum alterum inducat, cùm huic sua fraus prodesse non debeat. Tertius est, si veniam ætatis à Principe impetravit minor, & postmodum cum alio contrahat. *L. 1. Cod. de his, qui veniam ætatis, &c.* quia fictione juris majores hi reputantur, quibus restitutio non conceditur. Quartò non restituitur minor adversus calumniè fortuitum, qui cuilibet etiam majori, quamvis prudentissimè agat contingere possit. *L. Verum 11. Sciendum ff. de minor.* Cùm in tali casu non ob defectum ætatis, quæ meretur beneficium restitutionis, in ipso contractu læsus sit, sed ex alio casu postmodum fortuitò superveniente. Quintò: Non restituitur, si